Barthol.

physica de natura motus.

QVÆSTIO PHYSICA.

DE NATVRA MOTVS.

In Alma Academia Cracouienſi publicè ad Diſputandum Menſe Auguſto, Die 22. Hora 10.

A

M. BARTHOLOMÆO DYLĄGOWSKI

Propoſita.

Permiſſu Magnifici D. RECTORIS.

CRACOVIAE,

In Officina Typogr. Matthiæ Andreouienſis;

Anno M. DC. XXXIV.

Ad Almam Acad. Cracou.



Fælices Musas, fælicia Sceptra Polonis,
Quę tantas nobis accumulatis opes.
Vos infracta fecit fieri Serenissimus, at vos
Grates authori reddite perpetuas.
Et geminate auidā per munera prouida famā,
Concelebrate pium laudibus officium.

Venceslaus Kamienski Stud. Eloqu.

CLARISSIMO VIRO
IOANNI INNOCENTIO PETRICIO,
Medicinæ Doctori & Professori, eiusdemque Facultatis Decano, &c. &c. Domino Fautori benignissimo Felicitatem.

CVM vellem has de Natura Motus Theses publico certamini proponere, Tu maximè occurrebas dignus eo munere, in quo & indefessum politioris doctrinæ elucet studium, & in me ornando non mediocris perspecta est alacritas, & non vulgaris beneficentiæ extabat monimentum. Translatitium est eos sibi potissimùm deligi solere præsides, quos aliquis sui rerumq; suarum cognouerit studiosos. Ad quem porrò irent cupidiùs pacis alumnæ squalore obsitæ, armorum sonitu per totam Poloniam interstrepente? Quis Sagatorum, aut arte ciuili præstantium, curas istas literarias nostras putaret esse aliquid? Nam quod de sua gemma apud S. Ioannem Damascenum, Magnus dicebat Barlaamus; Eam non à quouis posse videri: & quod de vero Amore

Socrates; ad eum videndum philosophicis opus esse oculis: id ego de hisce meis diuinabam Thesibus; eas nunquam in suo precio, nisi apud Philosophiæ peritos habendas rei. Tenuê enim quiddam est, quod de Natura Motus in publicum damus, (in quo tamē ipso nos publico vsui demittimus) at si aspicies hanc partem, non tenuē à Tua claritudine ducet gloriam. Illustre Tuum nomen est, non apud nostros solùm, sed etiam exteros, quod Tibi Tua insigni eruditione conciliasti. Mirus apud ciues amor, quem Tua humanitate & comitate collegisti. Celebri gloria, quam his, & cæteris præclaris Virtutibus Tuis, ac medendi peritiâ, peperisti. Patere igitur Vir doctissime, has leues chartas nostras in Tuo celebri inuulgari nomine: hîc ames dici; O & præsidium & dulce decus meum. Et quod reliquum est, spes nostras iacentes Tuo benignitatis fauore attolle, conatus promoue, & vsque nos quaque in Tuo patrocinio conserua.

Clarissim. Dominationi Tuæ deditissimus

M. BARTHOLOMÆVS DYLAGOWSKI M. B.

QVÆSTIO

V. Motus Naturâ suâ successiuus & continuus, propriè per se, Qualitatem, Quātitatem, & Vbi tantū termināns; re differat à termino, nec ne?

CONCLVSIO I.

Successio est omninò de Essentia Motus ipsius.

COROLLARIA.

1. *Successio & Continuitas conueniunt motui ex natura Motus.*
2. *Deus non inuertit naturam Motus.*
3. *Implicat naturaliter Motum successiuum distingui à mutationibus instantaneis, sine successione.*
4. *Successio temporanea, non est de ratione Motus in communi, sed motus propriè dicti.*
5. *Successio in motu locali, non est ex plenitudine medij, sed ex diuisibilitate spatij.*

6. *Actio & Passio sunt vnus Motus.*
7. *Tempus non est quidpiam re diuersum à Motu.*

CONCLVSIO II.

Continuitas non est de Essentia Motus, sed est proprietas fluens ex natura Motus.

COROLLARIA.

1. *Continuitas quoniam causatur à forma mobili Motu Physico, fundamentaliter & causaliter dicit Essentiam Motus, formaliter verò est eius passio.*
2. *Continuitas in Accretione latet, in Alteratione patet, in Motu locali euidentius cernitur.*
3. *Augmẽtatio constat ex multis Motibus & quietibus: seu quod idem est. Augmentatio viuentis, non est vnus numero continuus Motus, sed partialis.*
4. *Continuitas in Motu Locali potest esse, quamuis spatium non sit continuum: in alteratione verò necessaria est & qualitatis Continuitas, & numeralis vnitas.*
5. *Continuitas Temporis differt specie à Continuitate Motus.*
6. *Velocitas & tarditas non sunt passiones Motus nec differentiæ.*

CON-

CONCLVSIO III.

Motus prorie per se, in Substantia Relatione, Actione, Passione, Quando, Situ, Habitu, non versatur.

COROLLARIA.

1. *Motus per se, non est in omnibus indifferenter, sed tantum in contradictorijs & contrarijs: in contrarijs quidem quoad Motum successiuum, in contradictorijs quoad simplicem mutationem.*
2. *In substantia non est contrarietas secundùm completam contrarietatis rationem.*
3. *Substantiæ sumptæ pro sola introductione formæ Substantialis in materiam, non competit terminare Motum: sumptæ verò cum Alteratione præuia competit.*
4. *Relatio facit mutationem non verum nec propriam, quæ per actionem & passionem producatur, sed impropriam & qualemcunque.*
5. *Actio & Passio in acquisitione formæ cernuntur, nec tamen Motum terminant.*
6. *Quando, Situs, Habitus, sunt modi, quibus illa res quæ per se Motum acquiritur, modificatur; & ideò in eos non fertur directè Motus, sed indirectè.*

CON-

CONCLVSIO IV.

Tres Cathegoriæ, Qualitas, Quantitas, & Vbi, per se terminant Motum.

COROLLARIA.

1. *Ad Qualitatem est per se Motus intensiuè & extensiuè.*
2. *Alteratio supponit subiectum actu, & perfectū quoad essentialia: quam perfectionem accipit per generationē.*
3. *Alteratio est Motus, & Motus de necessitate cōtinuus.*
4. *Ad Qualitates primæ speciei, quæ sunt, Habitus & Dispositio, tàm corporis, quàm animæ non est Alteratio per se propriè dicta.*
5. *Qualitas terminans motum, non substantialis, sed accidentaria est accipienda.*
6. *Quantitas non præcise sumpta, sed prout est naturalis, habet contrarium; si non tantum quantum est in Alteratione, tamen est eiusmodi, vt est inter perfectum & imperfectum.*
7. *Contrarium maximè cernitur in Qualitate, minus in Vbi, minimè in Quantitate.*

CONCLVSIO V.

Inter formam quæ est terminus Motus, & ipsum

ipsum Motum, distinctio est formalis, nõ realis.

COROLLARIA.

1. *Vltima dispositio censetur esse eiusdem naturæ cum gradu formæ introducto.*
2. *Magis & minus in eadem forma specifica participata, non facit diuersitatem specificam.*
3. *Formæ accidentales intenduntur, ad maiorem vel minorem in subiecto radicationem, manentibus semper remissis gradibus, cum alijs in intensione: & similiter in intensione manentibes illarũ partium gradibus, quæ erant in intensa, aliquibus earum partibus deperditis.*
4. *Formarum substantialium cælestis est origo.*
5. *Formæ Substantiales, & aliquæ accidentales non recipientes magis & minus, habent solas extensionis partes, quamuis sint partes per accidens: non enim eas à se, sed per accidens habent.*
6. *Alteratio, Augmentatio, & Generatio, cum suis oppositis, non snut distinctæ re a termino.*

Parerga Medica.

1. *Motus humorum periodici in corpore humano, non copiæ, sed qualitati eorundem, sunt in acceptis referẽdi.*

2. *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos: & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris.*

3. *Qualitatem humorum cum calor naturalis, tum pharmaca temperant.*

4. *Inest etiam quippiam diuinum in morbis.*

5. *Dies Critici à natura, non ab syderibus causantur.*

EXCELLENTISSIMO VIRO

D. BARTHOLOMÆO

DYLAGOWSKI,

Artiũ & Philosoph. Doctori,

AC

MEDICINÆ BACCALAVREO:

M. IOANNES CYNERSKI Rachtamouius, Coll. Minor, Ordin. Eloquentiæ Professor, amoris, & boni ominis ergô occinit.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΟΝ.

PErfice, quādoquidē ſolidā decorare palæſtrā
Eſt animus, pulchrum perfice mentis opus.
Perfice, ſolliciti ſolers monumenta laboris,
Perfice conſpicuos laude fouere viros.
Perfice Palladijs rigidum certamen in hortis,
Perfice iudicij reddere ſigna tui.
Adde nouo felix DYLAGOVI munera Phœbo,
In lucemq́; bonis progredere auſpicijs.
Perfice conceptas pridem vigili arte coronas:
Perfice, ne dubita, perfice, victor eris.
Victor eris, ſeu victus eris, tibi gloria ſurgit:
Tàm benè victus ouat, quā benè victor ouat.
Victor, & hic victus, cōmuni pace fruuntur:
Legibus & iungunt pulchra trophæa pijs.
Magnanimos virtus animos, non cæca coronat
Fortuna, in te nil hæc Dea iuris habet.
Perfice victor eris, decorat te induſtria prudens:
Ornat & ars priſcæ nobilis Hiſtoriæ.
Nobilis Hiſtoriæ pater, à quo fluxit amænum
Ingenij TACITVS nobilioris opus,

Cum multis taceat, tibi cultam vellicat aurem
Et ſpirat tacitis proxima verba modis.
Ille docet fraudesq́; dolosq́ue, & acumina ſecli,
Et quæ Principibus ſunt fugienda viris.
Quis fons, quis genius, quæ libertatis origo,
Tu potis es ſolitis ſingula noſſe vijs:
Tu ductum rerum, ſenſumq́; fidemq́; ſagaci
Ingenio numeras, ingenioq́. foues.
Vnum te moneo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Si quid non tacitæ pignus amicitiæ,
Per Tacitum te, perq́. tua hæc clariſsima mentis
Symbola, per quicquid dulce tibi in Tacito eſt:
Vt Tacitus tuus iſte diſertà in luce loquatur
Ore tuo tacitas ipſe loquatur opes:
Ipſe loquatur opes tacitas: non ille tacebit
Iam nobis tibi qui ſuggerit eloquium.
Sic tandem nobis ingrata ſilentia rumpet
Sic nobis tacitum ſuggeret eloquium.
Quid melius luce hac? illuſtri ſpargitur orbe,
Commune atque ſibi vendicat arbitrium:
Ignis, & vnda, æther facilem mittũtur ad vſum,
Conſociata pari ſunt elementa modo,
Ne Ta-

Ne Tacitū tacitis (precor) ergò obrue tenebris
Qui ſcit, & ille tacet, Doctor is inuidus eſt.
Quid quod Symmachus, Podalirius, atq; Machaō
Inſtruxêre piâ, pectus in arte tibi.
Nam quid ego ſileā, pulcherrima lumina noſtræ
Vrbis? gaudet queîs ars medicina viris:
Et gaudet Medicorum conſcius ordo ſalutis
Quorum te fauſtis ingeris auſpicijs.
Quis non ſollicitum VOYNIEYSKI ſuſpiciat? quis
Enumeret curas in medicaminibus?
Atq; grauem VOLPHOVICIVM; attentiq; laboris
MITKOVIVM morbos cum premit exanimes.
Quis tua non meritò laudet monumēta PETRICI
Queîs reparas doctas poſteritatis opes?
Nam tibi inexhauſtum complet ſapiētia pectus,
Cor bona ſimplicitas, ingeniumq; fouet;
Ludit amabilibus gratiſsima Suada medullis,
Ludit honorato dulcis in ore lepos:
Conſpicuos fuſcat nulla oſtentatio mores,
Frons neſcit rigidum docta ſupercilium.
Te SMIESZKOVICI noſtri laus inclyta Phæbi
Carmine quis iuſto concelebrare poteſt?

Parce

Parce quod hęc doctas temeraria fertur ad aures
Musa, timet solidum nec tamen arbitrium.
Hoc facit ingenuas tibi mens exculta per artes
Quæ tibi tam facili dexteritate fluunt:
Vt prudens omnes vultu intuearis amico,
Qui prompto Musas obsequio insinuant.
Viue decus Phæbi, & geniales congere lauros,
Quas tibi patronus prorogat eximius:
Sic lauro LAVRENTIVS inclyta festa coronet,
A cuius pulchro nomine nomen habes:
Per virides lauros, viridantia tempora cingat,
Floridus vt facili sit tibi in ore vigor.
Laurus amat vates, lauro sint Carmina digna
Quæ nos Patrono fundimus ecce tuo.
NAYMANOVICIVM ergo meũ decus, atq; Mineruæ
Patronum, quis me commemorasse vetat?
Qui vigil excelso fasces in culmine torquet,
Gaudet & illæsæ consuluisse Togæ.
In lucem toties qui me deducit amicam,
Et iubet obsequio fundere verba pio:
Qui mihi Castalij largitur pocula fontis,
Qui fractum toties erigit ingenium:
O quo-

O quoties me dentatis defensat ab vmbris,
Eximit & rigidis sollicitudinibus!
Reficit ille auidam per pocla recentia mensam,
Vestram Collegæ, pauperiemq; iuuat:
Et nos pauperiem sine votis iungimus aptis,
Legibus adstrinxit nos sibi pauperies.
Hæc inter Collegia, pullatosque Quirites:
Hæc Dea nos rigido conficit imperio.
Quid tum? pauperies vexet modò, perdita si non
Nos furia ambeso verbere concuciat:
Sed dentes acuit crudos furialibus ausis,
Et lacerat laceros ambitiosa viros;
Pauperiemq. premit, sic mordacissima fidam,
Pergit & extremos prostituisse rogos.
Moribus vt simplex fueris, vitâq. modestus
Arma dabis comptis apta libidinibus!
Non sic ô non sic veteres tractantur alumni,
Dum quoq. pauper eras an meminisse iuuat?
Sed quid pauperiem tandem timeamus amaram
Hinc procul arbiter hanc prouidus excutiet.
Is dulces statuit donis recreare Camœnas
Et procul ingenijs tollere quicquid obest.
Vasa bonæ Ceruisiolæ hebdomadalia adauxit,
Et raucam extinxit, quæ fuit ante, sitim.
Nunc etiam apparat penetralibus inclyta nostris
Commoda, Mæcænas dicier ergo potest?

Imò

Imò Parnaſsi dicetur Phæbus amæni
Qui tantâ Muſas munificentiâ alit!
Perfice ſollicitam DILAGOVI ornare paleſtram,
Ingenuas mentis perfice diuitias.
His tua ab auſpicijs induſtria ritè vigebit
Hoc Rectore tuus nomen habebit honos.
Perfice, namq; ſibi te iam deuinxit amicus
Legibus Hippocras, conſociabilibus.
Perfice ſunt præſto memores fidiq́ue ſodales,
Excellens nimium prouidi in obſequium.
Perfice mobilium ſinuoſa volumina rerum,
Perfice robuſto mobilis ingenio.
Atque doce, vt cælum motu torquetur aperto:
Vt venti, pluuiæ, roris, aquæque viæ:
Vt fingit natura ſuum imperioſior orbem:
Vt varium certâ claudit in arte modum.
Vt fouet abſtruſo ſub humo, ſalo, vbiq; latentes
Motus, Eois, Heſperijsq́ue plagis.
Vt panditq; vias, & ſymbola peruia Muſis,
Vtque decem gyris aſtra rotata refert.
Vtque pium Charitum puro de fonte liquorem
Fundit, & ingenuo corda lepore rigat.
Perfice, quādoquidē ſolidam decorare palæſtrā
Eſt animus, pulchrum perfice mentis opus.